

aliquo titulo, aliquid dominiū, potestatem, nec iurisdictionem in Dalmatia, cum
simus dispositi et intendimus viuere et mori sub eadem Corona Vngarie. Post
hoc, cum tempus videbitur aptum, vos ad regiam Maiestatem et cum distincta
serie, qua poteritis, exponentes tribulationes, angustias, passiones, obsidiones, hys
temporibus per nos passas, ob fidelitatem sue corone seruandam, quam cum gra-
uitatibus maximis seruauimus et seruare intendimus vsque ad mortem. Narrabitis
damna nobis illata in campo nostro per regem Bosne, Priorem Aurane, Clissien-
ses et alios circumvicinos Sue Maiestatis emulos, mortem et captiuitatem nostro-
rum, eorumque redemptiones, feminarum nostrarum turpes et inhonestos tractatus,
fructuum et reddituum nostrorum binam deuastationem et perditionem molendino-
rum, destructionem vitium et arborum, campi prostrationem et incisionem et alia
multa, de quibus estis plene informati. Que grauia fuissent et essent nedum
Spalatensibus, sed potentiori civitati partium istarum; et quantumcunque grauia
fuerint et sint, in eadem constanter perseuerare disposuimus; et vt hec et alia
futura illariter tollerare valeamus et possimus animo, supplicamus, dignetur Maie-
stas Vestra nobis subuenire de aliquibus corone vestre, et nobis vtilibus satis,
cum ad sustentationem vite nostre, que nobis a terra surrepta est pro magna
parte, quia Rex Bosne et Clissani magno tempore ex toto nos tenuerunt obses-
sos et nunc tenent pro magna parte, cum aliquis nostrorum hominum non audeat
neque possit ire infra terram, et sic durior imo durissima est vita nostra; da-
bunt et hec nobis pacem et concordiam cum vicinis nostris, cum quibus sumus
in differentia et discordia, et quod deterius est, sepius non exspectato iudicio nos
predantur et damnificant et nunquam sine damno nostro transire possumus, et
immerito; in qua pace et quiete viuentes, Deo et Maiestati Vestre continuis
horis regratiari non cessabimus. Et his peractis procurabitis, quod priuilegium
libertatum, praerogatarum et immunitatum nostrarum, dudum nobis concessarum
per felicis memorie plures Regum Vngarie, confirmetur, et si vobis videbitur
tempus faciendi ipsas omnes nostras libertates districte notari in nouis Priuilegiis,
faciatis in bona hora, et optimum erit tunc eas confirmari faciatis et fieri pro-
curabitis, quo meliori modo poteritis. Procurabitis, quod habeamus confines inter
nos et Clissenses ita, quod flumen Salone sit nostrum versus Spalatum et vltra
sit castri, et hoc magis pro pace habenda cum Castro, quam pro vtilitate con-
sequenda. Procurabitis, quod mete et fines sint inter nos et castrum Almissi,
ita quod flumen discurrens prope ipsum castrum sit meta et confinis inter nos
et castrum; ita quod terrenum citra flumen versus Spalatum sit nostrum vsque
in mare, et hoc magis pro pace, vt supra. Procurabitis, quod nobis in patri-
monium et sustentationem nostram dentur insule Fare, Curzule et Bracie, quod
nobis concedatur iurisdiclio, quam habet regia Maiestas, scilicet, quod ad eas de
nobis ipsis per nostrum Comitem et Consilium mittatur Comes, cum salario illis
dari solito, cum eis viuere valeamus; et si non totum, partem, quam poteritis.
Procurabitis obtinere litteras regias ad summum Pontificem, quod Hugolinum,
Archi-Episcopum nostrum, ad aliam Ecclesiam permutare dignetur extra regnum
suum, et nobis de bono pastore providere, cum quo pacifice viuere possimus
sine scandalo. Praeterea possitis et libertatem habeatis pro obtinendo vobis com-
missa expendere ducatos Mille auri et abinde infra, vbi et in quibus vobis me-
lior videbitur. Nullo modo, nulloque colore, vel ingenio, malum dicetis de a quo
ciue nostro, nec forense Corone Vngarie et Baronibus, nec Prelatis, nec alicui